



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nomenclator Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Qvi
Ab Anno Christi Millesimo quippiam commentati sunt, Sev
Ab Eo Tempore quo Pontificis electione ad eos tantum ob
Romani cleri multitudinem ...**

**La Rocheposay, Henri-Louis Chasteigner de
Tolosae, 1614**

A Bonifacio IX. Creati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10735

**AB ANTIPAPA CLEMENTE
VII. CREATI CIVIS**

Regesti volumina 9. in Vaticana

Bibliotheca servantur.

LEONARDVS GIEONENSIS, siue ex Iouis phano, Apulus, Ord. Minorum Cardinalis, scripsit referente Trithemio.

In libros Sententiarum.

In Cantica Canticorum.

Summam Theologicam notabilem.

Sermonesque Multos. Obiit Auenione an. 1405.

Sepultus in Ecclesia Minorum.

THOMAS LOMBARDOVS Ord. Prædicatorum Cardinalis, Comitum Sabaudia à Confessionibus, scripsit (vt notat author Bibliothecæ Prædicatorum.)

Sermones, & nonnulla alia opera, quæ Toleti in Cœnobio Prædicatorum afferuntur.

A BONIFACIO IX. CREATI.

BALTAZAR COSSA Neapolitanus Cardinalis, qui postea Ioannes Papa 23. cum per tempora Concilij Constantiensis honestæ Custodiæ mancipatus Schaphusie ad Rhenum attineretur; malorum duratus assuetudine, sæuienti & improspere fortunæ nunquam submitit animum, scripsitque carmine præsentiori quàm pro Fortuna firmitudine.

De varietate Fortunæ.

Quod autè à Constantiensi Concilio vnà cum Gregorio 12. & Benedicto 13. (qui ne Pontificatu cedere adi-

geretur, in mediū venire prolatabat) summo Sacerdotio motus sit, nullo ei vel Collegis aduersatoribus, eadē pariter, eodēque loci perpeffis vitio vertendū est: Sed quoniam grauescentibus in dies Ecclesie malis, Schismatum grauitate iuxta discrimen vltimū ventum erat, tripertitā clauium potestātē, cum tres Romanis præessent sacris, ad vnum Martinum quintū transferre pacis interfuit, quo medio & sequestre opportuno magna Dei benignitate ingruenti noxę obuiam itum, & rebus extremis subuētū: cum Synodi votis & destinatis nemo vnus extra Benedictū 13. aduersatus sit. Raphaelē Fulgosiū, Simonē de Perusio, & Petrum de Ancharano Legū famosē peritos iuris & ipse doctor studiosissimē coluit, Leonardūque Brunum à Secretis habuit. Florentiæ Cardinalium Decanus decessit, ibidemque iacet in Templo S. Ioannis, cum hoc Epitaphio ex memoria prioris fortunæ conscripto.

Ioannes quondam Papa 23. Obiit Florentiæ anno Domini 1419. xi. Kal. Ianuarij.

COSMATVS MELIORATVS Cardinalis qui postea Innocentius Papa 7. Orationem grauissimam in confessu Cardinalium de Ecclesiastica vnione habuit, Romæque iacet in æde S. Petri vaticana cum hoc Epitaphio

Innocentio vij. Pontifici Maximo cum neglecti eius sepulchri memoria interijisset. Nicolaus 5. Pont. Maximus restitui curauit.

AB INNOCENTIO VII. CREATI.

PETRVS PHILARGI Cretensis, Græcus, ord Minorum, Cardinalis qui postea Alexander Papa 5. Ecclesie discordiis fessæ, quasi precariò præfuit, scripsitque
Quodlibeta.